

Num

- 1.
- 2
- 3
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8
- 9.
- 10
- 11.
- 12.
- 13.
- 14.
- 15
- 16
- 17.
- 18
- 19.
- 20.
- 21.
- 22.
- 23.
- 24
- 25
- 26.
- 27.



POSITIONES MISCEL-
LANEÆ JURIDICÆ,

• *Quas*

AUXILIO DIVINI NUMINIS,
CONSENSU MAGNIFICÆ FACULTATIS
JURIDICÆ,

In Illustri Albertinâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Præ-Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi atque
Excellentissimi*

DN. JOHANNIS Stein/

J. U. D. & P. P. Ordinarii longè Celeberrimi, Supre-
morum Borussiae Judiciorum Advocati vigilan-
tissimi, fidelissimi

*Patroni & Promotoris studiorum suorum eter-
num devenerandi*

PRO RITE OBTINENDA
IN JURE LEGENDI FACULTATE

placidæ doctorum censuræ submittit

PETRUS Schwenner /

J. U. Candidatus.

Anno M. DC. XCVII. die 22 Novembr.

Horis locoque Consuetis.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRAND.
ET ACADEM. TYPOGR. HÆREDUM.

FLORENTISSIMÆ REIP. PALÆOPOLITANÆ
PATRIBUS GRAVISSIMIS
VIRIS

Magnifico, Generoso, Præ-Nobilissimo, Nobilissimis, Amplif-
simis, Consultissimis, insigni prudentiæ & Reip. feliciter gestæ
gloriâ conspicuis,

DOMINO CONSULI
DOMINO PROCONSULI
Cæterisque
DNIS. DNIS. SENATORIBUS
ut &
DOMINO SECRETARIO

Patronis & Fautoribus venerandis sacrum!

Insignes gravitate PATRES ignoscite servo,
Splendida quod tenuis Nomina charta ferat.
Est labor exiguus præsens, quem Dedico Vobis,
Major at est animus, qui benefacta colit.
Magna quidem Magnis debentur jure *Patronis*,
Attamen interdum parva placere solent.
Vilia, contentus modico quoque thure, Jehova
Munera non spernit corde profecta pio.
Me tegat ulterius PATRONI gratia vestra,
Et meliora dabit fortè futura dies.
Intereà calidas devoto pectore supplex
Pro vestrâ fundam prosperitate preces:
Urbis Delicium Nostræ, Meritissime Consul,
Insignis Patriæ Gloria, vive diu.
Vivant & vigeant Amplissima Membra Senatus,
Ut nostra Themidis floreat Urbe decus.

Observantissimus Cliens

PETRUS Schweimer/
J. U. Candidatus.



Assertio Juris Civilis, quâ in illo casu, quando plures unius magistri exercitores fuerunt, quemlibet in solidum convenire permittit *l. 1. §. f. l. 2. l. 4. §. 1. ff. de exercit. act.* non est ab æquitate naturali aliena. Etsi enim *Grot. l. 2. d. J. B. & P. c. 11. §. 13.* eam ab æquitate naturali recedere existimet, quia satis sit, si singuli pro suis partibus conveniantur, & publicè utile, non absterreri homines ab exercendis navibus, rectius tamen contrarium tuetur *Ziegl. in Not. ad all. l.* Habet quippè particularis solutio sua incommoda *l. 3. ff. fam. ercisc.* maximè cum hic actiones dividendæ sint, litesque & impensæ multiplicentur. Præterea minus proficuum foret, si pro ratâ tantùm exercitores conveniri possent, quia sic homines absterrerentur à contractu cum magistro navis ineundo, sicque sæpius contingere posset, ut propter defectum pecuniæ & refectionis necessariæ naves in exteris regionibus derelinquerentur, quo ipso navigationi maritimæ non exiguum damnum inferretur.

II.

De Jure Naturali ad translationem dominii non requiritur traditio *Grot. l. 2. de J. B. P. c. 6. §. 1. & c. 12. §. 15.* Nam nec ipsum J. Civile in omni Dominii translatione eam desiderat. Ita rei legatæ dominium statim in ipsum legatarium citrà traditionem transit *l. 80. ff. de leg. 2. l. 3. §. 2. ff. de leg. 3.* Sic quoque quod per sententiam in tribus judiciis *famil. ercisc. commun. divid. & fin. regund. adjudicatum*, absque ullâ traditione acquiritur. *§. 7. J. de Offic. jud.* Procedit tamen hæc nostra assertio, quatenus dominium nudè tanquàm qualitas moralis, & prout abstrahitur à possessione, consideratur. Aliàs verò quatenus dominium aliquid physicæ facultatis continet, per quam statim actu exerceri queat, præter pacta etiam traditio exigitur. *Puff. d. J. N. G. l. 4. c. 9. §. 5. & seqq. Schultz in Obs. Parall. Grot. ad Schnob. Dissert. 11. tb. 14.*

III.

Promissio metu extorta J. naturali nullam producit obligationem. *Puff. d. J. N. G. l. 3. c. 6. §. 10. & 11. Thomaf. Jurisp. Div. l. 2. c. 7. §. 66.* Quamvis enim à parte promittentis adsit consensus, deficit tamen à parte promissarii jus acceptandi, cum tamen ad validam ex promisso obligationem inducendam non solus consensus promittentis sufficiat, sed etiam ex

parte promissarii jus acceptandi requiratur. *Grot. quidem l. 2. d. J. B. P. c. 11. §. 7.* ait, metu promittentem obligari ad servanda promissa, sed promissarium teneri ad liberandum promissorem, si promissor velit, verum dum posterius asserit, prius destruit. Ampliamus nostram sententiam, etiam si promissioni metu extortæ juramenti vinculum accesserit. Unde nec promissionem latroni juratò factam valere censemus. *Puff. de J. N. G. l. 4. c. 2. §. 8. Thomaf. Jurisp. div. l. 2. c. 9. §. 31. Diss. Grot. l. 2. d. J. B. P. c. 13. §. 15.*

IV.

Magna J. Gentium Legatis inviolabilitatis atque immunitatis privilegia ob sanctitatem personæ, quam representant, concessa sunt. An verò hæc privilegia eò usque se extendant, ut intuitu illorum Legati in territorio illius, ad quem missi sunt, delinquentes nullâ poenâ affici queant, non exiguæ disquisitionis est, cum non eadem in omnium scriptis deprehendatur sententia. Nos existimamus, tutius esse, si Legatus delinquens potius ad Dominum mittentem remittatur, quàm si ipse Dominus, in cujus territorio delictum commissum, à Legato supplicium exigere velit. *Conf. Grot. de J. B. P. l. 2. c. 18. §. 4.*

V.

Repressaliæ, si in illo casu, quando in causa planè liquidâ & non dubiâ civi jus est denegatum, nec hic beneficia juris neglexit, & in aliena civitate jus pariter à supremo imperante denegatum est, à summâ potestate concedantur, nullâ iniquitate laborant. *Conf. Grot. l. 3. d. J. B. P. c. 2. §. 4. 5. Puffend. d. J. N. G. l. 8. c. 6. §. 13. Ziegl. d. Jurib. Maj. l. 1. c. 35. §. 31. & seqq.*

VI.

Testamentum conjugum reciprocum, quo hi mutuum bonorum suorum successionem sibi invicem deferunt, moribus hodiernis frequenter usurpari solitum dispositioni J. Civilis neutiquàm contrariatur. Cum enim bona sua m. c. donare reciprocè conjuges possint *l. 9. §. f. ff. de donat. int. V. §. 11. l. 27. l. p. ff. d. m. c. donat.* testamentaria mutua successio minimè ipsis denegari potest. *Mev. ad J. Lubec. p. 2. t. 1. A. 10. n. 4. Carpz. P. 3. C. 7. d. 18. n. 3.* Hoc testamentum conjugum non unum, sed duplex est, cum duæ personæ ultimæ voluntatis elogia condentes deprehendantur, nec unius, sed duorum hereditas in eo deferatur. *Myns. C. 1. O. 8. n. 6. Peck. d. testam conj. l. 1. c. 43. n. 1. Carpz. P. 3. C. 7. d. 22. n. 2. Fab. in Cod. l. 6. t. 5. d. 18. n. 2.* Unde etiam, si statuto cautum sit, ut certa gabella pro testamento solvatur, non simplex, sed duplex gabella ob testamentum

testamentum conjugum reciprocum inferenda, nec Notario testamentum describenti duplex honorarium denegandum. *Peck. all. Tr. l. 1. c. 19. n. 4. Mev. & Carpz. l. 6.* Ex eo, quod hoc testamentum duplex esse diximus, concluditur, quod à superstite conjugè mutari queat. *Brunn. ad l. 22. ff. de leg. 3.* cum nemo mutandæ supremæ voluntatis facultatem sibi præripere possit. *Mev. p. 9. d. 148. Berl. p. 1. d. 92.* Atque hanc sententiam in Camera Imp. receptam esse *Gail. l. 2. O. 117. Myns. & Carpz. all. l. 1.* testantur. Veruntamen hoc procedit, tantum quoad illam portionem bonorum, quæ ad superstitem conjugem jure proprio pertinet. *Brunn. C. 2. D. 24.* Ampliant hanc assertionem Dd. etiamsi quis juraverit, se nolle testamentum revocare. *Berl. p. 1. D. 92. n. 9.* Etsi autem hoc testamentum duplex sit, potest tamen in unâ eademque chartâ scribi. *Hopp. in Comm. ad S. 13. J. de Testam. ordin. & sufficit, si iidem testes in utroque testamento eodem tempore & loco adhibeantur, ne quod paucioribus expediri potest, pluribus ambagibus peragatur. Peck. d. test. conj. l. 1. c. 19. n. 2. Hahn. ad Wes. Par. tit. qui test. fac. poss. n. 13.* Nonnulli tamen Dd. requirunt, ut septem testes adhibiti disertis verbis indicent, se hoc testamentum utriusque nomine signare & subscribere, imò separatim testatores & specificè nominent. *Gail. l. 2. O. 117. n. 2. & 3.*

VII.

Lege Anastasianâ in pœnam redemptorum alienarum litium & favorem debitorum cautum deprehenditur in *l. 22. C. mand.* ut qui alienas actiones debitoris vexandi & molestiâ afficiendi gratiâ sibi cedi curarunt, tantùm id pretium, quod revera pro factâ cessione nominis cedenti solverunt, à debitore consequantur, de reliquo autem pretio nihil accipiant. Unde Controversia enata: Cuinam residuum pretii ex dispositione Legum debeatur? In varias hic Dd. abeunt sententias, ut difficilè appareat, quænam amplectenda sit. Alii enim reliquum pretii ipsi cedenti assignant, veluti inter hos hanc sententiam tuetur *Laut. Comp. Jur. t. d. Hered. & act. vend. & V. 2. D. 12. ib. 35.* qui tamen non simpliciter residuum pretii nominis cessi cedenti adjudicat, sed tunc demum, quando ipse cedens fraudis nullius particeps est, nec cum cessionario in perniciem debitoris colulit. Nonnullis lubet residuum pretii fisco deferre, cui opinioni album calculum adjicit *Carpz. l. 5. Resp. 33.* Quibusdam placet, residuum pretii debitori relinquendum esse, & hi iterum sunt in duplici differentia. Aliqui enim residuum debitori tantum in his tribus casibus, nempe (1) quando quis uni partem vendit, & partem donat (2) eidem partem unam vendit,

& alteri cuidam tertiæ personæ interpositæ alteram partem donat (3) alicui totam donat, sed tacitè & clam aliquid recipit. *Berl. p. 1. d. 35. n. 4.* Alii verò eidem indistinctè superfluum adjudicant. *Stryk de Caut. Coni. S. 4. c. 2. §. 12. it. in Dissert. d. Jurib. & action. non cessib. c. 1. §. 12. Brun- nem ad l. 22. C. mand. n. 5. & in Tr. de Cess. act. c. 1. n. 85.* quibus adsti- pulamur.

VIII.

Cum J. Naturale æqualem contrahentium conditionem desideret, nec quempiam cum alterius damno locupletiolem fieri permittat, qualemcunque inæqualitatem ex contractu E. V. descendantem improbat, ideoque læsionem, etiamsi infra dimidium sit, resarciendam esse, & demendum ei, qui plus habet, reddendumque minus habenti constituit, quia in contractu id utrinque propositum fuit aut esse debuit, ut contra- hentes æquali conditione fruerentur, & quilibet tantundem haberet. *Grot. d. J. B. P. l. 2. c. 12. §. 12. Nemo enim censetur per contractum in alium quicquam transferre velle, quam quatenus pro re suâ equipollens re- cipere se judicat & consequenter ex contractu non potest quis jus nan- cisci ad rem alterius, quam quantum illa ab ipso judicatur equipolle- re rei, quam pro eadem accipit,* eruditè scribit *Puffend. d. J. N. G. l. 5. c. 3. §. 1.* At J. Civili ad evitandam multitudinem litium & insignem uti- litatem ex commerciorum frequentiam in Remp. redundantem promovendam non omnis inæqualitas corrigitur, sed illa demum, quæ ultrà dimi- dium, licet vel unico nummo excedat, tendit, tollitur famoso *L. 2. C. de R. Vend.* beneficio, quod non tantum venditori, sed & emptori competit, cum in correlatis, & iis, in quibus eadem ratio juris militat, dispar juris di- spositio locum obtinere nequeat. *Hahn. ad Wesf. t. d. R. V. n. 6. Sand. decis. Fris. l. 3. t. 4. d. 13. Stryk. d. action. forens. investig. S. 1. memb. 6. §. 31.* & non conditione, nec beneficio restitutionis in integrum, sed actio- ne ex ipso contractu Empti Venditi descendente imploratur. Hoc bene- ficium *L. 2. C.* in venditionibus privatis obtinere extra omnem dubitatio- nis aleam positum est. Sed de eo non exiguæ notæ controversia inter Dd. movetur: An scilicet etiam in venditionibus publicis, quæ per subhastationem factæ sunt, vigorem suum exerat *L. 2. C. d. R. V.?* Affirmativæ patrocinantur *Faber in Cod. l. 4. t. 30. d. 4. Peretz ad Cod. t. d. R. U. n. 19. Brun. ad l. 16. C. d. t. n. 4. Harpr. ad J. t. d. Empt. Vend. §. f. n. 240. Sand. Decis. Fris. l. 3. t. 4. d. 12.* Negativam tuentur *Berl. P. 1. D. 1. 26. n. 11. Carpz. l. 4. Resp. l. n. 12. Struv. S. J. C. Ex. 23. tb. 89.* Alii ne- gotium

gotium totum beneficio distinctionis componere student, inter quos illorum sententia, qui inter subhastationem voluntariam & necessariam distinguunt, & in illa rescissionem concedunt, non etiam in hac, nisi læsionem ultra dimidium fraude contigisse doceatur, reliquis omnibus præferenda. *Philipp. d. Substat. c. 4. Comm. 22, n. 18. Arius Pinell. ad L. 2. C. d. R. V. P. 2. c. 2. n. 26.*

IX.

Jure veteri novatio non tantum expresse, sed etiam tacite ex conjecturis & præsumptionibus legis celebrari poterat. Verum quia ista indicia, ex quibus præsumptiones factæ novationis capiebantur, sæpè dubia & obscura erant, nec exiguam litigandi occasionem suppeditabant, ad has contentiones è medio tollendas Imp. Justin. *l. f. C. d. novat.* tulit, quâ disposuit, nullas etiam evidentissimas conjecturas ac præsumptiones, ex quibus leges animum novandi colligebant, sufficientes esse, sed expressa verba requiri, quibus contrahentes à veteri obligatione se recedere, atque novam suscipere exprimant. Verum disquiritur: An *all. l. fin. C. d. novat.* etiam ad delegationem sit extendenda? Licet plurimi Dd. quos inter nominamus *Hahn. ad Wesf. t. d. novat. n. 8. Bach. ad Treutl. V. 2. d. 29. th. 6. lit. a. Gail. l. 2. O. 30 n. 7. 8. Mev. P. 2. d. 240. § 241. Eck. ad ff. t. d. novat. §. 12.* negativam tueantur, his tamen alii non immerito se opponunt, rectius docentes legem allegatam etiam de delegatione accipiendam esse. *V. Carpz. P. 2. C. 19. d. 16. n. 5. § 1. 5. Resp. 105. n. 18. Wissenb. P. 2. ff. d. 28. th. 6. Struv. S. 7. C. Ex. 47. th. 63. Stryk. Tr. d. Caut. Contr. S. 4. c. 2. §. 2. Brunn. ad l. F. C. d. novat. Hopp. in Comm. Inst. ad t. Q. m. toll. oblig. §. 3. V. expressum fuerit.* Cum enim generaliter Imp. circa novationem disponat, eam non ex conjecturis, sed ex expressis verbis colligendam esse, sub vocabulo autem novationis etiam delegatio ceu species ejus comprehendatur, non poterit non dispositum de novatione etiam ad delegationem extendi.

X.

Cum scrupulosa solennitatum in testamentis adhibendarum observatio difficilis sit, & neglecta testamenti vires enervet, alium faciliorem testandi modum leges introduxere, dum scilicet quis coram iudice & apud acta ultimum elogium condere valet *l. 19. C. d. testam.* & hoc testamentum iudiciale nominatur. Circa hoc testamentum observandum (I) quod nulli testes in eo desiderentur. Cessat enim hinc ratio, quæ in aliis

aliis testamentis testium præsentiam exigit, nempe ut omnis fraus evite-
tur, quia nulla fraudis suspicio in iudicium cadere potest. Nec mino-
rem fidem habere possunt coram actis publicis gesta, quàm quæ in præ-
sentia privatorum testium celebrata sunt. *Carpz. p. 3. C. 3. d. 11. Myns.
C. 6. O. 29. n. 5. Berlich. P. 3. C. 4. n. 4. Mev. ad J. Lubec. P. 2. A. 2.
t. 1. n. 72. Dissent. Faber in Cod. l. 6. t. 5. d. 23. Merend. l. 3. Cont. c.
47.* (2) quod hoc testamentum coram quolibet iudice etiam incompe-
tente celebrari possit. Est enim testamentorum insinuatio actus volun-
tariæ Jctionis, qui cum tantum majoris auctoritatis & certitudinis gratiã
coram iudice fiat, etiam apud alienum & incompetentem iudicem sus-
cipi potest. *Conf. Mev. P. 3. d. 195.* (3) quod nobiles aliique Jctione
gaudentes apud acta propria sua testamenta insinuare & condere possint
*arg. l. un. §. f. ff. d. Offic. Conf. l. 3. § 4. ff. de adopt. Carpz. P. 3. C. 3.
d. 14. Berl. p. 1. d. 92. n. 11. 12.* (4) quod non necessarium sit, ut testa-
mentum apud acta publica celebratum & sigillo judiciali obsignatum
perpetuò maneat apud acta, sed possit illud testator post factam judicia-
lem obsignationem domi asservare, nec ex eo mutatio voluntatis colligi
queat, modò tamen obsignatio judicialis post mortem testatoris illæsa
deprehendatur & recognoscatur, neque alia indubitata mutatae volunta-
tis indicia essent. *Carpz. P. 3. c. 3. d. 30. § 31. Berl. p. 3. C. 4. n. 46.
Eckolt. ad ff. t. qui testam. fac. poss. §. 10.*

XI.

Divisiones hereditatum aliæ in iudicio, aliæ extrà iudicium suscipi-
untur. Circà extrajudiciales disquiritur: An illæ etiam propter modi-
cam læsionem retractari & in melius reformari possint? Nonnulli Dd.
tunc demum extrajudicialem læsionem corrigendam esse statuunt, si læ-
sio enormis ultra dimidium adfuerit. *Carpz. P. 3. C. 15. d. 19. Bach. ad
Tr V. 1. d. 19. tb. 12. Lit. C. Schroet. in Resol. Difficil. LL. Cod. ad L. 3.
C. Commun. utr. jud.* Ab horum sententia alii recedunt, atque etiam
ob modicam læsionem divisionem factam rescindi posse docent *Berl.
P. 1. d. 146. § P. 3. C. 21. n. 27. Mev. ad J. Lubec. P. 2. t. 2. A. 29. n. 13.
Peretz. in Cod. t. Commun. utr. jud. n. 5. Hahn. ad Wes. t. fam. ercisc.
n. 8. Ant. Merenda l. 1. Cont. 36. n. 8.* quorum sententiæ suffragari non
dubitamus.

XII.

Certa solennia Leges testamentis condendis præscribere, quibus
non

non observatis testamentum corrumpit. Quæritur verò: Annon minimum naturalis obligatio ad testamentum implendum, & defuncti voluntati satisfaciendum oriatur? Non exiguum illorum catalogum texere licet, qui testamentum solennitatibus à lege requisitis destitutum saltem in foro conscientiae obligare asserunt, è quorum numero inter alios laudamus *Fachin. l. 4. Cont. c. 5. Zoes. ad ff. t. qui test. fac. poss. n. 43.* Interim meliori juris fundamento illorum sententiam inniti existimamus, qui testamentum solennibus carens nec naturalem obligationem producere propugnant. *Lauterb. V. 4. D. 23. th. 34. Puffend. d. J. N. G. l. 4. c. 10. §. 7. Struv. S. J. C. Exerc. 32. th. 16. Mev. Nucl. J. N. G. Insb. 6. §. 23. Habn. ad Wes. t. qui test. fac. poss. n. 13. V. maritus & uxor,*

XIII.

Atrocioribus criminibus, quæ capitali cõercentur poenâ, non immeritò annumeratur gravissimum crimen Raptus, quod tunc committitur, quando persona honesta libidinis gratiâ de loco in locum abducitur §. 8. *J. de publ. Jud. l. un. C. d. Rapt. Virg.* Hoc crimen committit etiam ille, qui virginem volentem rapuit (1) propter expressam sanctionem *all. l. un. §. 2. ib. ut huic poenæ omnes subjaceant, sive volentibus, sive nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum* (2) quia semper jura in abducente dolum & malitiosam persuasionem præsumunt. (3) licet foemina rapta consenserit, dissensus tamen parentum & cognatorum, in quorum injuriam raptus vergit, considerari debet. Imò licet matrimonii causâ quis rapuerit, non tamen effugit ordinariam crimini raptus præfinitam poenam, quia non decet hostili more matrimonia sibi conjungere, sed uxores ducendæ secundum Leges petendæ sunt, etiamsi non consummaverit concubitum. Non tamen ordinaria poenæ raptus locus est, quando vel mulier virum, vel vir meretricem rapuit.

XIV.

Feudum præscriptione acquiri posse ostendit *text. 2. f. 26. §. 4. 2. f. 87.* Quale verò hoc sit feudum, an proprium, an verò improprium disquiritur? *Wurmser. in Tr. d. fend. improp. Class.*

B

3. S. 2.

3. 5. 2. in cenium impropriorum detrudit, à cuius sententia recedunt
Stryk. E. 7. F. c. 11. q. 15. Struv. S. 7. F. c. 8. 1b. 12. & Excellent.
Dominus Praeses Disp. Feud. 7. c. 16. §. 8. doentes hoc feudum pro-
priis accensendum esse, quorum sententiam propugnare non dubi-
tamus.

XV.

Matrimonium ad Morganaticam, de quo agitur 2. f. 19. nul-
lam sapit iniquitatem. Tendit enim hoc vel in conservationem illu-
strium familiarum, vel in favorem priorum liberorum, vel etiam
eum in finem suscipitur, ut sumptibus alias impendendis parcatur.
Nihil quoque substantiæ matrimonii decedit, cum uxor fiat & ma-
neat legitima, liberi quoque sint legitimi, & tantum nonnulli effe-
ctus civiles tollantur.

XVI.

Dominus Vasallum de feudo novo nondum aperto investire
potest 2. f. 26. §. 2. 2. f. 35. 1. f. 3. 9. 27. etiam si feudi possessor liberos
habeat.

XVII.

A successione feudali regulariter foeminae excluduntur 1. f. 1. §.
3. 1. f. 8. pr. 2. f. 11. cum servitia militaria, quorum intuitu feuda
concedi solent, nequitiam præstare possint. An verò etiam à feu-
di franci successione foeminae removendae sint, disquiri solet? Nega-
tivam quidem quàm plurimi tuentur, maximè ex illa ratione, quia
in dicto feudo nulla servitia præstantur, & sic cessat ratio prohibi-
tionis, ob quam foeminis J. feudale successionem denegare voluit.
Verum cum non hæc sola & unica ratio foeminis denegatae succes-
sionis feudalis sit, sed & aliæ deprehendantur, rectius asserendum
erit, foeminas quoque à successione feudi franci arcendas esse. *Conf.*
Excell. Du. Praeses Disp. feud. 5. c. 11. §. 5. Ampl. 7.

XVIII.

Successionis feudalis quoque incapaces sunt furiosus, mutus,
surdus, coecus 1. f. 6. §. 2. 2. f. 36. nec refert, an natura surdi, muti,
coeci

cœci sint, an verò ex accidenti hæc vitia contraxerint, modò tamen vitio totali seu omnimodâ imperfectione laborent, cum levis imperfectio, arte medicâ curabilis, nullam post se trahat exclusionem, & vitium illud antè casum devolutæ successionis contractum fuerit. Si enim post adeptam successionem quis ab initio habilis integris corporis viribus postea cœcus, surdus vel mutus factus fuerit, feudo semel legitime quæsito non est privandus *2. f. 24. §. 2.* præprimis si diuturna servitia militaria à Vasallo præstita huic vitio occasionem dederint.

XIX.

Quando Vasallus possidens feudum antiquum feloniam in Dominum committit, tunc quidem feudum Domino aperitur, quàm diu Vasallus delinquens & ejus liberi vivunt, at his mortuis feudum iterum redit ad agnatos, cum horum jus Vasalli delicto non potuerit interverti. *Stryk. E. J. F. c. 23. q. 46. §. 48. Struv. S. J. F. c. 15. aph. 14. Vultej. L. 1. d. feud. c. u. n. 71.*

XX.

Facta locatione prædii, si casus contingat, ut pastor in illo prædio decedat, quæritur: Quis Jus Patronatus exercere debeat, num locator, an verò conductor? Et respondendum, facultatem constituendi novum pastorem de Jure Canonico competere ipsi conductori per expressum *text. in C. 7. X. de Jure Patron:* ubi disponitur, militem villæ ad firmam concessæ, cui Jus Patronatus inhærebat, liberè hoc jus exercere posse, nisi illud nominatim disertis verbis à concedente fuerit exceptum, cum locator sibi imputare debeat, quod non Jus Patronatus exceperit. Et hanc sententiam etiam in Consistoriis hodiernis obtinere testatur *Stryk. in Not. ad Brunn. J. Eccles. l. 2. c. 8. §. 14. Dissent. Brunn. alleg. 1.*

XXI.

Etsi J. Civili matrimonium inter adulterum & adulteram improbetur *l. 13. ff. de his, quæ ut indig. l. 22. C. ad L. Jul. d. adult. Nov. 134. c. 12.* idem tamen de J. Canonico permittitur *c. 2. c. 31. q. 1. c. 5. c. 31. q. 1. c. 6. X. de eo, qui duxit in matrim. dummodo non adul-*


adulteri nefarias vitæ prioris conjugis insidias struxerint, nec vivente adhuc conjuge sibi invicem de contrahendo post fata conjugis matrimonio fidem dederint. *Brunn. ad J. Eccles. l. 2. c. 26. §. 16. & Stryk. in Not. d. l.*

XVII.

Jure Civili dispositum est, quod quilibet testimonium ferens teneatur juramentum præstare, adeò ut nec Clerici ad testimonium dicendum evocati ab illâ juramenti præstatione sint immunes *l. 9. §. 1. C. d. testib.* Nec ab hac J. Civilis dispositione recedit J. Canonicum, utpotè quod nullibi Clericos à juramenti præstatione in dictione testimonii excipit *c. 20. c. 3. q. 9. c. si testes sin. c. 4 q. 3.* imò expresse cavet, etiam à Clericis juramentum præstandum esse *c. 39. §. 1. X. de testib.* in quo ultimo asseritur, quod *nullius testimonio, quantumcunque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debeat credi.*

FINIS.







63158

AB 63158

ULB Halle

3


002 422 263



86


VD 17





115.11
Vol





POSITIONES MISCEL-
LANEÆ JURIDICÆ,

• *Quas*

AUXILIO DIVINI NUMINIS,
CONSENSU MAGNIFICÆ FACULTATIS
JURIDICÆ,

In Illustri Albertina

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Præ-Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi atque
Excellentissimi*

DN. JOHANNIS Stein/

J. U. D. & P. P. Ordinarii longè Celeberrimi, Supre-
morum Borussiae Judiciorum Advocati vigilan-
tissimi, fidelissimi

*Patroni & Promotoris studiorum suorum eter-
num devenerandi*

PRO RITE OBTINENDA
IN JURE LEGENDI FACULTATE

placidæ doctorum censuræ submittit

PETRUS Schwenner /

J. U. Candidatus.

Anno M. DC. XCVII. die 22 Novembr.

Horis locoque Consuetis.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRAND.
ET ACADEM. TYPOGR. HÆREDUM.